



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Prooemium §. I. Synopsis dicendorum §. II. patria potestas romanorum in quo constitit? quid, & istius effectus? §. III. conclusio ex §. antecedente. §. IV. Transitio ad LL. XII. Tabb. §. V. Quid dicendum secundum leges XII. Tabb. §. VI. consuetaria §. VII. ratio huius L. XII. Tabb. inuestigatur. §. IIX. occasio & causa huius querelae introducendae. §. IX. eiusdem origo. §. X. consuetaria. §. XI. cur querela & quidem inofficiosi dicatur. §. XII. coram quo iudicio instituenda erat olim. §. XIII. Querela inofficiosi quid olim? §. XIV. erat extraordinarii iuris. §. XV. Transitio ad statum monarchicum. §. XVI. causae mutationis huius querelae. §. XVII. Ius nouum. §. XVIII. legitima quid? §. XIX. quibus debeat? §. XX. Exhereditatio quid? §. XXI. occasione huius querelae Iustinianus inuenit causas exheredationis. §. XXII. Testamentum inofficiosum quid hodie? §. XXIII. querela inofficiosi quid hodie? §. XXIV. quibus casibus non locum habeat? §. XXV. differt a querela nullitatis. §. XXVI. a conditione ex lege. §. XXVII. ab actione Caluisiana utili. §. XXVIII. quibus casibus hac querela hodie opus sit. §. XXIX. quis illam probare debeat? §. XXX. An adhuc hodie furor sit exprimendus. §. XXXI. Effectus huius querelae. §. XXXII. Quomodo libellus eius sit formandus. §. XXXIII. quid dicendum secundum ius germanicum antiquum. §. XXXIV. Epilogus.



PROOEMIUM.



Mltos quidem, Amice lector, de querela inofficiosi, aliisque ad eam pertinentibus quaestionibus, scilicet an tertio sit proficua? scripsisse, est, aut paucos, quantum scio, de ORIGINE eius, eosque, ad modum breues ac concisos in explicanda fuisse, breuitateque esse obscuros reddidisse: quid? quod plerisque Iurorum pragmaticorum quoque hanc originem non satis perspectam atque cognitam habuisse, constat inter omnes. Hi enim si illam didicissent, non tam otiosas quaestiones mouissent: veluti an adhuc hodie querela inofficiosi sub colore furoris sicut olim instituenda sit seu an color furoris hodie in libello exprimi debeat ne? & alias similes: ad quas tamen hocce in prooemio responsurus non sum, sed demum in tractatione ipsa, nisi breuitas proposita prohibeat, quo minus eas soluere queam. Sane, si qua vlla materia in vniuerso

iure

iure reperiri liceat, multis opinionibus adflucta, haec indicio esse potest. Quare quum omnes dubias ac difficillimas circa hanc querelam quaestiones, variasque interpretum non modo ab aliis sed a se ipsis saepe dissentientium opiniones in hac dissertatiuncula discutere vellem, nimis amplius mihi scripturo pateret campus, adeo ut tempus citius quam verba deessent. Omnium optimus, qui de origine huius querelae scripsit, est noster celeberrimus Heineccius in *Antiquitatibus suis Rom.* & quidem in editione quarta. Nos quoque de ea scribentes, laudibus eam haut efferemus, per se enim est conspicua. Quapropter mihi Thema quoddam ex Iure Romano in cathedram producenti, nullum magis varium scituque necessarium, nullum praestantius Antiquitatibus Romanis visum est hoc ipso, quod *de origine querelae inofficiosi*, quam adpellant, agit: ac proinde hanc querelam loco disputationis inauguralis adsumere & quantum potero in genuinam eius originem inquirere libuit.

§. I.

QUum autem in originem istius inquirere volumus, nihil videmur debere praetermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primo saltem breuissimis quaedam *de patria potestate Romanorum*; si quidem haec laxa potestas quoque occasionem praebuisse videtur huius querelae introducendae; deinde *de ipsa occasione & origine huius querelae*: Tum, *cur querela & quidem inofficiosi* dicatur: & quid olim *testamentum inofficiosum* dictum fuerit, cuius intuitu haec querela a

Synopsis
cendoru

prudentibus seu Iureconsultis inuenta, & si qua alia n
tatu digna erunt: *postremo quid hodie testamentum inoffici
sum & querela inofficiosi sit.* Haec erunt praecipua cap
ta huius dissertationis, de quibus in sequentibus par
graphis agere, nostrarum erit partium.

§. II.

*patria pote-
stas Romano-
rum in quo
constitit?*

*patria pote-
stas Romano-
rum quid?*

ius effectus.

Quanta olim *patria potestas* civium Romanorum fu
erit, quem *ICcorum* fugit? quamvis enim ea in gener
& simpliciter considerata, sit iuris gentium, at in sp
cie & definite secundum leges ac mores Romanorum
considerata est iuris Quiritium, & ita quoad forma
praesertim quum ad prisca tempora Romuli respicis
haec potestas, civium Romanorum propria dicebatur
seu proprium eorum ius: nulli enim alii erant homine
qui tali in liberos potestate utebantur, quali utebantur
Romani, sicut legitur in *§. 2. Inst. de patr. potest.* quibu
verbis imperator ipse fateri videtur: Romanos in sim
plicitate iuris gentium neutiquam substituisse, sed hac et
iam in re ostendere voluisse iura singularia quibus o
mnes reliquas gentes antecederent. Statuebant enim
hi populi: liberos ratione patris non personae sed re
mancipi, atque adeo aequae in dominio esse ac seruos
quapropter *patriam* eorum *potestatem* nihil aliud est
quam *DOMINIUM* * *Quiritarium*, seu iuris Quirit
um, *patri competens in liberos*; ac proinde patri tan
quam *familiae* *CAPITI* ac *DOMINO* omnia eadem
que iura in liberos tribuebant, quae domino in res, do
minio suo subiectas, vel in suos cuique seruos; quem
admodum igitur dominus cum dominio vel rebus sui
prohibitu disponere: h. e. alienare, donare, vendere
vind

vindicare, & perdere possit; ita quoque patrem liberos alienare, donare, vendere, vindicare *l. 1. §. 2. ff. de R. V.* nec non iis surreptis, actionem furti instituere *l. 14 §. 13. ff. de furt.* immo & ob iustam causam tanquam magistratum & iudicem domesticum nocentes occidere posse aiebant *l. 11. in fin. de lib. & postum.* quod etiam formula in adoptionibus usitata, apud Gellium *lib. V. c. 19.* satis euincit. Inde patres, *familiarum suarum* PRINCIPES vocat Vlp. in *Fragm. tit. 4 §. 1.* & Gaius *lib. 16. ad Edict. pro uinc. in l. 196. de V. S.* Inde eorum potestas *patria* seu *paterna* MAIESTAS audit apud veteres. Val. Max. *lib. 7. 7. 5.* Quae omnia satis probant liberos ratione patris non personae sed res & quidem mancipi adeoque in dominio fuisse aequae ac seruos. Quam ob causam haec patria potestas in *§. 3. Inst. de pat. potest.* etiam ad nepotes pronepotesque ex filiis profertur: cuius enim ipse pater est, eius & liberi esse censentur. Rationes huius antiquissimi rigidissimique iuris politicas, cur nempe tantam apud Romanos acceperit potestatem pater, Dionysius Halicarnassensis *Antiq. Roman. lib. II. p. 96. sq.* tradit, & ab alylo variarum gentium repetit, quarum ut diuersa educatio, & in regendis liberis dissimiles mores; ita Romulus infinitam cuique potestatem reliquit, quin in quibusdam *maiozem*, quam in seruos, veluti quod ter venundari possent liberi, & bis manumissi reciderent in patriam potestatem. Bynkersh. de iure occidendi *lib. p. 147.* Vnde fixum stat, ius patriae potestatis Romanum esse singulare, & ab aliorum populorum iure prorsus distinctum.

* confirmat hoc luculenter Lactant. lib. 4. Inst. diu. c. 3. dicens: *Domini eundem esse, qui sit pater, etiam iuris civilis ratio demonstrat. Quis enim poterit filios educare, nisi in eos habeat domini potestatem?*

§. III.

*conclusio ex
§. antecedente.*

Quum itaque *patria potestas* antiquissimo iure tam late patuerit (§. II.) facile ad existimandum est, *patrem* etiam eodem iure pro lubitu liberos nepotesque vel testamento praeterire vel sine vlla iusta * causa exheredes scribere potuisse: si enim quod plus est, licet, facile licebit, quod minus est per *l. 21. de R. I.* Patribus inde quibus ius vitae & necis in liberos competebat, neganda non videbatur eorundem liberorum cum praeteritio tum exhereditatio, quia minus est praeterire & exheredare liberos, quam eos occidere vti etiam PAVLVS in *l. 11. in f. de lib. & postum. hered. instit.* dicit, quae lex admodum notabilis ac fundamentum totius huius doctrinae est.

* h. e. non habita ratione iustae causae exheredationis, sicut hodie. Ex quibus obiter colligimus iustas exheredandi causas *iure antiquissimo* i. e. tempore Romuli incognitas, primumque iure nouissimo in Nou. 115. c. 3. a Iustiniano introductas fuisse, vti infra dicemus. Ex dictis quoque simul patet, hoc tempore neque legitimam, per consequens etiam neque hanc nostram querelam inofficiosa notam fuisse.

§. IV.

*Transitio
ad LL. XII.
Tabb.*

Haec pauca de patria potestate praesertim eius effectibus tum exheredandi tum praetereundi liberos sum Regibus sufficiant. Reliquum nunc erit, vt ostendatur

dam an haecce potestas eiectis regibus, in statu nimirum populari, legibus XII. Tabb. latis etiam obtinuerit?

§. V.

Hanc scilicet asperam potestatem patriam ex legibus regiis Decemviri in XII. Tabb. retulerant, ut Auctor est praeter DIONYSIVM lib. I. VLP. IANVS in fragm. tit. X. §. 1. Hinc postea Legibus XII. Tabb. latis, haec *patria potestas* quoad exheredationem ac praeteritionem liberorum non restricta & sublata, sed patri ac cuicumque testatori latissima liberrimaque potestas de bonis suis disponendi in iis data ac relicta erat. Quippe in quibus ita cautum: PATERFAMILIAS * VTI LEGASSIT ** SVPER FAMILIA, PECVNIA TVTELA VE SVAE REI *** ITA IVS ESTO: Vlp. *Fragm. tit. XI. §. 14. Verbis legis XII Tabb. bis:* (ut ait ipse Ictus in lege notatu dignissima 120. de V. S.) *uti legassit suae rei, ita ius esto, latissima potestas tributa videtur, & heredes instituendi, & legata & libertates dandi, tutelae quoque constituendi.* Quid quod? ipsi Decemviri dixerunt, legis instar esse, quidquid disposuerit paterfamilias, quod verba in nostra lege, *ita ius esto* (h. e. ita lex esto: *Theophil. in Inst. tit. de L. Falcidia τὸ νόμος ἐστὶν*) innuunt: quare testamentum dicitur νόμος, *lex*: & hac de re graeci testari vertunt νομοθετεῖν in Nou. 22. c. 2. *legem ferre*: Quin legare, quo vocabulo itidem Decemviri vsi, ab Vlp. *Fragm. tit. XXIV. §. 1.* exponitur, *legis modo, id est, imperatiue, testamento relinquere.* Ill. noster Heineccius in *Inst. §. 493.** Ideo quemadmodum leges in comitiis calatis, ita & testamenta vetustis temporibus, quo iis publicam concilia-

Quid dicendum secundum LL. XII. Tabb.

ciliarent auctoritatem & vim legis condebantur, quae adparet ex antiqua formula, dum populus in comitiis rogabatur: *velitis iubeatis Quirites, ut Lucius Titius Lucio Valerio tam iure legeque heres sit* &c. laud. Heineccii. *loc. §. 486.* deinceps; quemadmodum in legibus considerabantur verba directa vel imperatiua, ita in testamentis condendis. Quid multis? quae sollemnia in legibus: eadem olim in testamentis condendis requirebantur. Haec itaque satis superque probant, testamenta apud Romanos leges fuisse: quemadmodum auctoritas legis ac principis est: imperare, vetare, permittere, punire per *l. 7. ff. de Legib.* ita quoque est testamenti tanquam legis & patris tanquam principis familiarum suarum (§. II.) Quae quum ita sint, quis, quomodo: negaturus erit, vi huius legis XII. Tabb. patrem vel testatorem liberos nepotesque ac quoscunque heredes legitimos, seu ab intestato quos vocant, testamentum praeterire ac sine iusta causa exheredare potuisse: dum lex, (puta XII. Tabb.) patrem ad id non obligabat sed arbitrio eius relinquebat an liberos heredes institutuere vellet nec ne?

* paterfamilias hoc loco denotat ciuem Romanum quia testamenti factio proprium Quiritium ius erat. Ideo Cic. *pro Archia* probaturus Archiam esse ciuem Romanum eo probauit, quod Archias testamentum fecerit legibus Romanis. Qui enim in ciuitate Romana huiusmodi non donatus, vel peregrinus erat testamentum condere non poterat. *l. 8. §. 1. ff. qui test. fac. poss.*

** pro legarit. Vsitatum enim erat prisca litera S. vti pro R. in iure mo ante necessitatis erat quam Appius Claudius inuenerat. Literam R. eaque inuenta non penitus abiecerunt literam S. sed eam vsurparunt pro litera R. ita veteres iussa non iura di-

runt arboſem pro arbore roboſem pro robore, eſit pro erit, l. 2. §. 36. ff. de O. l. Vocabulum legare autem hic denotat vniuerſalem de patrimonio diſpoſitionem, adeo vt quis poſſit heredes inſtituere, legata dare &c. Hertel in diſſ. ad d. l. 120. de V. S.

*** i. e. liberorum ſuorum. Quippe qui apud Romanos nihil aliud erant quam res mancipi (§. II.) & hinc paterfamilias, dum tutorem illis dabat, legabat de tutela ſuae rei. Nihilominus tutor dabatur perſonae, quia eius munus mortuo demum patre incipiebat, poſtquam iam perſona, vel caput liberum eſſe coeperat filius. Ill. Heinecc. cit. loc. §. 208.*

§. VI.

Quandoquidem vero ius eſt, quidquid diſpoſuerit paterfamilias (§. V.) ſatis conſtat ſecundum has XII. Tabb. 1) nullam legitimam; (quia nulla obligatio erat inter patrem & liberos ad eam relinquendam) 2) nullas exheredandi cauſas; neque 3) vllam reſciſſionem * teſtamenti per querelam inofficioſi fuiſſe. Neque erat cur liberi conquererentur, quum pater exheredando nullam iniuriam aduerſus eos teſtamento induxiſſet, quippe qui ſuo iure uſus eſſet, eo autem vtens, illis non faciebat iniuriam: adde, quod teſtamenta olim in comitiis calatis condita auctoritate comitali niterentur, tamque rata eſſent, vt ex capite inofficioſi reſcindi haud poſſent.

* initio nimirum harum Tabb., poſtea autem ea propter auctoritatem prudentum i. e. Iſtorum admiſſa, vt infra oſtendam.

§. VII.

Non ſolum *Democratia* *, cui haec lex antiqua accommodata erat, in qua nimirum quilibet paterfamilias
B fami- *ratio legis in gatur.*

ciliarent auctoritatem & vim legis condebantur, quae adparet ex antiqua formula, dum populus in comitiis rogabatur: *velitis iubeatis Quirites, ut Lucius Titius Lucio Valerio tam iure legeque heres sit* &c. laud. Heineccii. loc. §. 486. deinceps; quemadmodum in legibus considerabantur verba directa vel imperatiua, ita in testamentis condendis. Quid multis? quae sollemnia in legibus: eadem olim in testamentis condendis requirebantur. Haec itaque satis superque probant, testamenta apud Romanos leges fuisse: quemadmodum auctoritatem legis ac principis est: imperare, vetare, permittere, punire per *l. 7. ff. de Legib.* ita quoque est testamenti tanquam legis & patris tanquam principis familiarum suarum (§. II.) Quae quum ita sint, quis, quomodo: negaturus erit, vi huius legis XII. Tabb. patrem vel testatorem liberos nepotesque ac quoscunque heredes legitimos, seu ab intestato quos vocant, testamentum praeterire ac sine iusta causa exheredare potuisse: dum lex, (puta XII. Tabb.) patrem ad id non obligabat sed arbitrio eius relinquebat an liberos heredes instituire vellet nec ne?

* paterfamilias hoc loco denotat ciuem Romanum quia testamenti factio proprium Quiritium ius erat. Ideo Cic. *pro Archia* probaturus Archiam esse ciuem Romanum eo probauit, quod Archias testamentum fecerit legibus Romanis. Qui enim in ciuitate Romana natus non donatus, vel peregrinus erat testamentum condere non poterat. *l. 8. §. 1. ff. qui test. fac. poss.*

** pro legarit. Usitatum enim erat priscis litera S. vti pro R. in iure. In fine ante necessitatem erat quam Appius Claudius inuenerat litteram R. eaque inuenta non penitus abiecerunt litteram S. sed eam usurparunt pro litera R. ita veteres iussa non iura dixerunt.

runt arboſem pro arbore roboſem pro robore, eſit pro erit, l. 2. §. 36. ff. de O. l. Vocabulum legare autem hic denotat vniuerſalem de patrimonio diſpoſitionem, adeo vt quis poſſit heredes inſtituere, legata dare &c. Hertel in diſſ. ad d. l. 120. de V. S.

*** i. e. liberorum ſuorum. Quippe qui apud Romanos nihil aliud erant quam res mancipi (§. II.) & hinc paterfamilias, dum tutorem illis dabat, legabat de tutela ſuae rei. Nihilominus tutor dabatur perſonae, quia eius munus mortuo demum patre incipiebat, poſtquam iam perſona, vel caput liberum eſſe coeperat filius. Ill. Heinecc. cit. loc. §. 208.*

§. VI.

Quandoquidem vero ius eſt, quidquid diſpoſuerit paterfamilias (§. V.) ſatis conſtat ſecundum has XII. Tabb. 1) nullam legitimam; (quia nulla obligatio erat inter patrem & liberos ad eam relinquendam) 2) nullas exheredandi cauſas; neque 3) vllam reſciſſionem * teſtamenti per querelam inofficioſi fuiſſe. Neque erat cur liberi conquererentur, quum pater exheredando nullam iniuriam aduerſus eos teſtamento induxiſſet, quippe qui ſuo iure uſus eſſet, eo autem vtens, illis non faciebat iniuriam: adde, quod teſtamenta olim in comitiis calatis condita auctoritate comitali niterentur, tamque rata eſſent, vt ex capite inofficioſi reſcindi haud poſſent.

* initio nimirum harum Tabb., poſtea autem ea propter auctoritatem prudentum i. e. Iſtorum admiſſa, vt infra oſtendam.

§. VII.

Non ſolum *Democratia* *, cui haec lex antiqua accommodata erat, in qua nimirum quilibet paterfamil.
B fami- *ratio h
legis in
gatur.*

familiarum suarum princeps ac legislator (§. II. & IV) verum etiam *naturalis σοφία* qua inductos Romani credebant parentes, *dulce* ** quippe de sanguine suo indicaturos, rationes videbantur: quare DECEMVIRI hancce potentiam liberorum exheredandorum imitatam esse voluerunt. Pater enim optare credebatur, ut sui liberi sint sui heredes; ac proinde patres qui liberos heredes scripserat *dulci officio* *** fuerunt. Et utrumque dixerunt veteres *l. 1. C. de his qui sibi adscrips. test.* Quae quum ita sint, sane non mirandum est, quare haec libertas exheredandi minus fuerit restricta in LL. XII. Tabb.

- * Quum enim leges in ea latae, ideoque a graecis petitae sint, quia eorum respublica itidem democratia erat; facile patet leges civibus libertatis amantissimis accommodatas esse. Inde de ratio legis Liciniae, Valeriae, Porciae &c. petenda. Quae de causa rationem *Democratiae* in interpretandis legibus romanis habere debet intellecturus easdem.
- ** i. e. iuxta pietatem seu naturalem amorem. Nam *dulce* inprimis est paterni in filios adfectus nota. vid. Iuv. 6 38. §. 135. Hinc quoque passim in re testamentaria & apud latinos liberos utriusque sexus audiunt *dulces*. Bynkersh. l. O. 19.
- *** *Dulce* ergo *officium* adpellatur, quod agitur ex communi parentum voto *l. 15. pr. ff. de inoff. test. l. 7. §. 1. si tabb. test. null. exp.* idemque est, quod Marciano *officium pietatis* in *l. 2. ff. de inoff. test.*

§. IIX.

occafio & causa huius querela in- Quandoquidem autem homines ita sunt comparati, ut libertate sua utantur, eaque deteriores soleant fieri, quam *iudicari* agnoscente id ipsum Cicerone *lib.*

XI. Epist. XII. *Omnino est hoc populi. MAXIMEQUE* *introduc*
 NOSTRI, *in eo potissimum abusi libertate, per quem* *dae.*
 (scilicet populum in statu liberae reipublicae) *eam con-*
sequutus sit. Quibus rebus factum est, ut saepius non
 tam propinqui, *necessarios*, quam in primis parentes
liberos, sine vlla causa contra *officium dulce* vel testamen-
 to exheredarent vel praeterirent, maligne circa san-
 guinem suum inferentes iudicium, abutentesque liber-
 tate iureque suo, probante *l. 4. ff. de inoff. test.* Cuius
 rei insignia quoque exempla adducit *Vol. Max. lib. 7. c. 7.*

§. IX.

Non peccabant hoc ipso quidem testatores *directo* *Eiusdem*
 contra tabulas, interim tamen quum eiusmodi exhere- *origo.*
 dationes admodum frequentes essent (§. IX.) eaeque
 intentioni legis ac officio pietatis aduersari viderentur
 (§. VII.) neque vllum remedium proditum esset, quo
 ad bona inhumani patris testamento eius sollemniter fa-
 cto & subsistente peruenirent exheredati, deque ea re
 vltro citroque multiplices querelae ad populum fere-
 bantur, magis humanitatis ac officii quam stricti iuris
 rationem habendam nec consentiendum esse existima-
 bant. Icti parentibus nouercalibus delinitis atque cor-
 ruptis blanditiis, *d. l. praesertim* quum ratio naturalis
 quasi lex quaedam tacita liberis parentum hereditatem
 addiceret *l. 7. de bon. damn.* Quibus rebus factum est,
 vt postea prudentes quibus permissum erat de iure re-
 spondere, specie iustitiae aequitatis, cuius studiosi sese
 adpellabant, de remedio quodam cogitare coeperint,
 quo hereditate exclusis succurrerent, ad impugnan-
 dum eiusmodi testamentum tanquam inofficiosum, id-

que remedium *querelam* inofficiosi vocarunt. Quod satis innuit Pomponius in *l. 120. ff. de V. S.* dum latissimam illam potestatem testatorum *coangustatam* fuisse citat, *interpretatione* (aut si mauis) *auctoritate iura conuentium* h. e. responsis prudentum. At enim, Iuris nouas leges condendi vel veteres perfringendi nulla esset potestas? attamen quum hi animaduertent ex principiis legum XII. tabb. furiosos condere non possent, stamentum, non alia ac commodiore ratione exheredatis succurrere poterant, quam si colore furoris viderentur, & praedicarent, parentem liberos contra ius hereditarium sine causa exheredantem non solum intentionem legis haut satisfecisse (§. VII.) verum etiam quasi furiosum fuisse, idque inde inferebant, quod de illis, nihil tale meritis, tam malignum iudicium intulisset *l. 2. §. 1. ff. de inoff. test.* Non enim tanta inhumanitas, iudicium odium, i. e. furor cadere videbatur in sani capitis hominem. Nec hic admittebatur probatio contrarii, testatorem fuisse integrae mentis, quia ipsa exhereditatio vel praeteritio furorem * h. e. odium, iram satis arguit. Sic specie *iusti* orta *querela inofficiosi* prudenti auctoritate excogitata & deinde ob aequitatem multisque in rebus populi romani adprobata libera adhuc reprobata non est. Nam populus ad quem suprema erat prouocatio, iudicium centumuirale, (quod erat populare & quodammodo vniuersi populi romani consilium ad hereditarias praecipue aliasque controuersias disceptandas actum,) *extra ordinem* iussit subuenire exheredatis *l. 1. c. 5. de iudicio centumuir. lib. 2. c. 5.* Erat itaque olim haec *querela* extraordinarii iuris, nam aequitas, qua non abutitur, est praeter ius ordinarium strictum & summum

* Furor ponitur etiam pro omni immoderato adfectu, odio, ira &c. in auctoribus classicis: qui significatus hic non exulat.

§. X.

Quam querelam ideo nec ex lege quadam *αμέσως* *confecta* esse liquet: (§. VI.) quia tunc actio nominata fuisset. Leges enim actiones generant; neque vlla fictione furoris opus fuisset quem tamen exheredati in hac querela fundamenti loco ponere solebant (§. IX.) Hinc rarissime in legibus vocatur actio. Summa inde nascitur probabilitas sententiae nostrae: quae non euertitur ex rubro legis *l. 4 ff. de inoff. test.* vbi legitur: *Caius libro singulari ad legem Gliciam*, vnde concludit *Cuiacius lib. 14. Obs. cap. 14.* lege Glicia querelam hanc introductam esse; potuit enim Caius obiter in suo Commentario huius querelae mentionem aliquam iniicere, vti bene monet *Vinnius* in Comment. ad Inst. tit. de inoff. test. Neque deinde illa fluit ex edicto praetoris, quippe qui exheredatis non succurrit *l. 8. pr. ff. de bon. poss. cont. tab.* adde quod haec querela non, vt aliae praetoriae rei persequutoriae ad actum rescindendum comparatae, annalis fit, verum hodie * quinquennium duret. Nec denique illam esse ex principum constitutionibus docet *Ill. Heinecc.* in *Antiquis. rom. rit. 18. lib. 2. §. 5. edit. poster.* quia iam Cicero in *Verr. l. 42.* eius meminit, qui tamen tempore liberae reipublicae vixit, quo romae nulli principes fuere. Immo ex *Val. Max. VII. 7. 5.* discimus, iam ad *C. Calpurnium Pisonem* hanc querelam fuisse delatam. Atque praeturam hic *Calpurnius* gessit anno **V. C. I O C L X X X I I.**

• dixi hodie: priscis enim temporibus intra biennium necesse est querelam inofficiosi testamenti instituere apud centumviro alioquin is qui bona ex testamento possidebat, ea usu cepit dicebatur. Plinius *lib. 5. Epist. 1.* Post haec ille cum ceteris subscripsit centumvirale iudicium, mecum non subscripsit. Et post lo post: Scis te non subscripsisse mecum, & iam biennium transiisse, omniaque me vsucepisse. Siccam. c. l. c. 6.

§. XI.

*cui querela
& quidem
inofficiosi di-
catur.*

Vocabant quoque ICTI QVERELAM, ἐὺφρονία, quia cognati & amici proprie non accusare & litigare, sed *conqueri* inter se dicebantur, ut Vossius obse-
uat *Inst. orat. lib. 1. cap. 6. §. 2.* neque hic adest crimen quod proprie accusatio supponit *. Deinde accusa-
tionis verbum acerbius erat, quam pietas & reuerentia patris ferret, quum patrem accusare non liceret, ut legibus constitutum est. Quamobrem ita temperarunt ICTI, ne acerbiori adpellatione, nisi tali, quae parentum pietatem non offenderet, vterentur. Vocabant eandem querelam INOFFICIOSI, quia quemadmodum *beneficia alienorum sunt ita officia eorum, quos necessitudo suscitatur, & opem ferre iubet.* Veteres enim officium proprie illud beneficium adpellarunt, quod a necessitudine coniunctis praestatur. Senec. de benef. *lib. 3. cap. 18. *** Contra officium itaque testati videbantur, qui proximos vel praeterierant vel exheredes scripserant. Vnde testamentum inofficiosum dicitur in *l. 2 ff. de inoff. test.* quod recte quidem, (h. e. non contra leges §. IX.) sed non ex officio pietatis factum, id est, quod testator contra officium suum, quod proximis debebat fecit. Quidquid enim contra offi-

cium

cium fit, illud recte inofficiosum dici meretur. *Illust. Heinecc. c. l.*

- * Hinc improprie dicitur in *l. 22. ff. de inoff. test.* testamentum inofficiosum accusare & in *l. 6. §. ult. l. 17. l. 29. §. 2. eod.* inofficiosi testamenti accusatio. Certe compilatores corporis iuris non semper adeo accurate & proprie loquuti sunt, sicut alii iam probarunt. Vocatur etiam haec querela *quaestio* in *l. 16. §. 1. eod.* item *caussa* in *l. 27. eod.*
- ** ibi enim ait: *Sunt qui ita distinguant: quaedam BENEFICIA esse, quaedam OFFICIA, quaedam MINISTERIA. BENEFICIUM esse, quod alienus det; ALIENUS est, qui potuit sine reprehensione cessare. OFFICIUM esse filii uxoris, & earum personam, quas necessitudo suscitatur & opem ferre iubet. MINISTERIUM esse serui, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quae praestat, imputet superiori.*

§. XII.

Deferebatur itaque haec querela ad iudicium centumvirale. * (§. IX.) Vnde & ipsa haec querela aliquando *iudicii centumviralis* nomine venit. *l. 13. ff. de inoff. test.* Iudices huius iudicii Romae dicebantur centumviri, ** penes quos *hereditatum, testamentorum &c.* *** cognitio fuit. Hi iudicabant de causis quae in aequitatis & iuris quaestione sitae erant. *Siccama cit. l. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 1.* sententiam ferebant secundum suffragia maiora, adeo, ut nihil iuris certi sibi quis de illis promittere posset. Idem *lib. 2. c. 4.* quum ab eorum arbitrio dependeret cui hereditatem addicere vellent nec ne? Id. *l. c. cap. 7.* **** Hinc quaedam testamenta rescindebantur, quaedam rata manebant teste Val. Max. *conf. l. 76. ff. de legat. 2.* item *l. 10. & 24. ff. de inoff. test.*

Quo

Quo fiebat, vt non omnes ex fententia victoriam h
querela reportarent, ac proinde multi exheredatione
potius aequo animo ferre quam iudicio contendere
mallent. Sic Aebutiae tabulae *plena furoris* fuisse
cuntur apud Val. Max. *lib. VII. c. 8.* in quibus altera
filiam instituit, alteram autem sine cauffa exheredauit
quas haec tamen impugnare recufauit, *eo se ipsa indigna
rem iniuria ostendens, quo eam aequiore animo sustinebat.*
Porro Pompeius Rheginus testamento fratris praer
ritus erat, *instituti vero heredes neque sanguine patrio
res, neque proximi: sed & alieni & humiles: vt non solum
flagitiosum silentium, sed etiam praelatio contumeliosa videri
posset, nihilo tēcius tamen multum ac diu inter assentientium
indignationi suae amicos quaestus quod ad bastae iudicium
tinuit, cineres fratris quietos esse possus est.* Testament
rum rescissorum quoque a iudicio centumuirali ex
plis itidem lecturos docet Val. Max. *lib. VII. 27.* quorum
vnum solummodo proferam, videlicet; Terentius
filio exheredatus rescissionem testamenti obtinuit
*Mouit Pisonem praetorem, patria maiestas, donum vit
beneficium educationis: seu aliquid etiam flexit circumstanti
tiam liberorum numerus quod cum patre septem fratres I
PIE exheredatos videbat.* vide Illustr. nostrum Böhm
in *eleganti dissert. de querela inofficiosi fratrum consanguin
rum §. 4.*

- Vocatur etiam hoc iudicium quadruplex, vt patet ex Plin. *lib. 18. epist. 18. lib. 4. epist. 24.* quia in quatuor consilia seu tribu
lia distribuebatur. Id. *lib. 6. epist. 33.*
- Erant hi lecti ex tribubus, terni ex singulis: quarum Rom
35. cum essent, reuera ex 105. viris iudicium istud constit
batur. Retinebatur tamen rotundus numerus, quo adpe

tio commodior esset Briss. *de verb. sign.* voce *centumuiiri*. Hi hasta posita cogebantur conuentu sollemni; primo a quaestura functis; deinde decemuiris litibus iudicandis: inde *bastam centumuiralem* Suetonius pro conuentu centumuiorum posuit. Inde *bastae iudicium* idem est ac centumuirale apud Val. Max. VII. cap. 8. 4. & Pompon. l. 2. §. 29 ff. de O. I. Locus in quo conueniebant centumuiiri adpellabatur basilica Iulia. Plin. l. 5. epist. 21. Hinc *centumuiralia iudicia* (definit Siccama l. c. lib. I. cap. 6) *decreta seu sententias, quae centumuiiri ex XXXV. P. R. tribubus a decemuiris litibus iudicandis sortiti & coacti, inque diuersis tribunalibus diuisi, hasta posita & praetore sollemniter praesidente, in basilicis, certisque sessionum diebus, de controuersis priuatis, praecipue vero de hereditatis petitionibus faciebant.*

*** Quibus de controuersis, caussisque priscis temporibus centumuiiri iudicauerint, docet Cicero lib. I. de Orat. cap. 38. his verbis: *iaclare se in caussis CENTUMVIRALIBVS, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum alluuiorum, circumluuionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium iura versantur &c.* Non autem iudicabant omnes centumuiiri siue totus senatus de hereditatibus, sed septemuiiri ex his electi. Vnde *septemuiralis iudicii* mentio fit in inscriptione l. 7. l. 28. l. 31. ff. de inoff. test.

*** ibi: in centumuiirorum sententiis, illud obseruatum fuisse animaduerti, vt pronuntiarent *VIDERI* illum, aut illum bene, aut male exheredatum vel praeteritum, vt ex Plinio liquet lib. 5. Epist. I. vbi sic inquit: *Deinde secessi, & ex consilii sententia: videtur, inquam, Curiane, mater tua iustas habuisse causas irascendi tibi.* Vbi formam sententiae centumuiirorum imitatus est.

§. XIII.

*Querela in
officiosa quid
olim?*

Quibus praemissis facile est ad intelligendum, quomodo olim querela inficiosa fuerit? nempe: imploratio iudicii centumviralis qua exheredati vel praeteriti testamentum stricto iure validum *, (§. V.) tanquam inficiosum seu contra officium dulce factum (§. XI.) aequo & bono rescindi petebant. (§. IX.)

* quia si iure non esset validum, non opus erat ad odiosum huiusmodi & extraordinarium auxilium confugere.

§. XIV.

*Est extraor-
dinarii iuris.*

Porro ex haecenus dictis haud aegre consequitur hanc querelam quondam extraordinarii iuris fuisse (§. XII.) quum neque lex, neque praetor exheredatatione succurreret (§. X.) nam aequitas, qua nitebatur, esse praeter ius ordinarium, strictum & summum. (§. IX. & XIII.) Siccama *l. c. lib. 2. c. 5.*

§. XV.

*Transitio ad
statum mo-
narchicum.*

De quibus quoniam satis dictum putamus non commodum videtur non praeterire *statum monarchicum* & docere quid sub eo, imperatoribus regnantibus, obtinuerit? & quales mutationes haec querela passa? quo facilius intelligi possit, non vnam eandemque naturam quovis tempore hanc habuisse querelam.

§. XVI.

Causae mi-

Quum itaque primo rigidissima illa patria po-

stas romanorum de qua § §. II. & III. egimus, paulatim *tationis*
 sub imperatoribus imminuta sit, praecipue ius vitae *ius quer*
 & necis quod statui monarchico haud conuenire, im-
 periumque, nemini priuatorum competens, inuolue-
 re videbatur, quare patriam potestatem magis in pie-
 tate quam atrocitate consistere debere iudicarunt in
l. 5 ff. ad L. Iul. de parr. Deinde respiciebant imperato-
 res nihil iuris certi coram centumuiris esse, sicut (§. XII.)
 significauimus rerumque exemplis docuimus. Deni-
 que tertio quum sub primis imperatoribus * *facilitas*
 centumuirorum in admittenda hac querela ex aequi-
 tate quadam cerebrina quandoque tam magna esset,
 vt non solum cognatis verum etiam amicis extraneis
 illam indulgerent, ceu nonnulla exempla apud Val.
 Maximum *VII. cap. 8.* docent. Obseruat id ipsum Ioan.
 van de Water *lib. 1. obseru. iur. rom. c. 12.* & *eousque*, ait,
profusa iudicum sub primis imperatoribus in admittendis que-
relis facilitas se porrexit, vt sanguine remotiores, immo nul-
lo sanguinis vinculo nexi, si de testante se benemeritos vel
propensam eius voluntatem licet nudis & vix feruis verbis ali-
quando prolatam rite probassent, hereditatem institutis auo-
care potuerint. Hae sunt caussae impellentes, quibus
 imperatores, aequitatem quippe iustitiamque huius
 querelae considerantes, moti, illam pedetentim in me-
 liorem formam redigendi, variisque legibus, decre-
 tis ac responsis augendi confirmandique, vt non am-
 plius ab arbitrio centumuirorum dependeret simpli-
 citer, sed ex legum auctoritate circumscripta forma
 subsisteret, in ordinariamque iurisdictionem abiret,
 quia minus e republica esse videbatur rem tanti mo-
 menti esse arbitrariam.

* perstitit enim iudicium centumvirale ad tempora Constantini quo ille imperium, omnemque potestatem Romae Constantinopolim transtulit, & in posterum summa iudiciorum potestas apud Consistorium principis permansit, omnisque iuris & fori antiquitas cum ipsa Roma eversa est. Siccardus *l. c. lib. 2, c. 8.*

§. XVII.

Ius nouum.

Haec omnia ab vltima antiquitate repetens IUSTINIANVS, propterea constituit, vt testatore liberos, post hos parentes, & certo casu * fratres * vel instituerent, vel nominatim ex iusta causa, testamento specificè adiecta, a tota hereditate excluderent, his rite obseruatis: si tamen causa falsa, h. e. ab herede instituto probari non posset, tunc testamentum tanquam inofficiosum quoad heredis institutionem rescindi deberet saluis reliquis eius capitibus. E contrario si testatores nullam iustam causam exheredandi haberent & tamen liberis, parentibus totam hereditatem inuiderent, illis necessario legitima honorabili institutionis titulo & quidem absque omni onere relinquendum esset; alias testamentum vt per praeteritionem nullum factum, querela nullitatis rescindi deberet. Ludouici in *Doctr. ff. tit. de inoff. test. §. 10. v. Nou. 115. c. 3. init.*

* si persona turpis iis praelata sit.

** Fratrum adpellatione etiã sorores continentur. l. 38. ff. de adpelle. c. 1.

§. XIX.

*Legitima
quid?*

Est autem legitima * portio hereditatis ex praescripto legum certis personis a testatore sine onere hereditatis non

norabili titulo institutionis relinquenda. Ea iure vetere fuit quarta portionis ab intestato debitae, hodie pro numero personarum modo triens, si quatuor vel pauciores; modo semis, si quinque vel plures essent *Nov. 18. cop. 1.*

- dicitur legitima a lege, quia sola lege sine iudicio testatoris constituitur.

§. XIX.

Personae, quibus ea deberur, sunt I) *liberi* qui ius succedendi illimitatum habent: II) *parentes*, reciproco successionis iure gaudentes: & III) *fratres germani* & his deficientibus *consanguinei* iisque eo saltem casu, legitima relinquenda, *si turpis persona; aut levis noxae macula laborans heres instituitur.* Ludov. c. l. §. 3. Quibus beatur?

§. XX.

Exheredatio est a tota legitima hereditate, ex iusta causa testamento nominatim adiecta, pure facta exclusio. Exheredatio quid?

§. XXI.

Quum itaque ex iusta causa fieri debet exheredatio (§. XX.) deinde eas **IUSTINIANVS** occasione huius querelae inuenit, earumque quatuordecim in *Nov. CXV. c. 3.* definiuit, ob quas liberi a tota hereditate excludi possent. Quas hoc loco breuissimis libet interponere, quia non seiunctae sunt a re proposita, puta 1) *si pater graui iniuria laesissus*; 2) *si manus impiae parentibus illatae*; 3) *si insidiae vitae structae*; 4) *si* occasione ius querelae Iustinianus inuenit causas exheredationis.

parentes detulerint & in caussa civili & pecuniaria, ac hac delatione in bonis suis maximum damnum senserint: 5) si filius cum maleficis versatur, ut maleficus 6) si parentes stari prohibuerit. Hic etiam ab intestato liberis hereditas confertur. Parentes tamen facultatem testandi deinde iterum nacti, sed liberos non exheredantes, iniuriam remisisse censentur. 7) si parentes furiosos neglexerint liberi, 8) si captivos non redemerint. His duobus casibus eadem repetenda quae ad causam gratam diximus, cum hac tamen limitatione nisi alius curam furiosi susceperit, tunc enim ad illum in praemium misericordiae deuoluitur hereditas, & non ad fiscum. 9) si liberi haeretici fiant, qui quatuor priores synodos oecumenicas reiiciant: 10) si filius (non filia) parentes accusator capitalis criminis, excepto crimine maiestatis: 11) si filius cum nouerca concubuerit: 12) si inuito patre arenariis vel nauibus se sociauerit, nisi pater eiusdem professionis fuerit: 13) si filius rogatus (non filia) parentes carceri inclusos liberare noluerit: 14) si filia minorennis, quam pater dote oblata elocauit, corpore quaestum faciat.

§. XXII.

Testamentum inofficiosum quid hodie?

Est itaque IVSTINIANO *testamentum inofficiosum* (§. XVII.) in quo liberi, parentes, & certo casu fratres a tota hereditate ex iusta causa, nominati in testamento adiecta sed *falsa* (h. e. quae probari ab intestato herede non potest) pure sunt exclusi (§. XX.)

§. XXIII.

Querela inofficiosa quid?

Per consequens *querela inofficiosa* est actio qua liberi, parentes & certo casu fratres a tota hereditate ex iusta causa

iusta causa nominatim testamento adiecta sed *falsa* exclusi agunt contra heredem qui adiit hereditatem *, ut rescisso testamento ipsis hereditas adiudicetur, ac iuxta inventarium cum omni causa restituatur.

* eamque possidet; si ergo exheredatus in possessione hereditatis est, & heres scriptus eam petit, per modum exceptionis haec querela institui potest.

§. XXIV.

Ex his definitionibus manifestum est, ut si 1) exhereditatio non sit expressa, sed filius vel adscendens praeteritus 2) si non nominatim facta: nec 3) ob causam in *Nov. 115.* expressam (quas recensuimus (§. XXI.) & 4) licet talis causa adsit, ea tamen testamento specificè adiecta non fuit, testamentum non hac querela impugnari posse tanquam *inofficiosum* sed ut ipso iure nullum querela nullitatis (§. XVII. ibique citati.)

Quibus casibus non locum habeat.

§. XXV.

Deinde quum querela inofficiosi tantummodo exhereditatis ob causam *falsam*, h. e. quae ab herede instituto probari non potest detur, eoque nomine testamentum ut inofficiosum rescindatur (§. XXIII.) consequens est, ut haec querela non competat liberis, parentibus, & fratribus (immo hisce saltem eo casu de quo §. XIX.) honorabili heredum titulo non institutis; qui tanquam praeteriti testamentum querela nullitatis impugnant. (§. §. XVII. & XXIV.)

Differt a querela nullitatis.

§. XXVI.

§. XXVI.

*Differt a
conditione
ex Lege.*

Porro ex eadem falsa causa facile est intellectum cur liberi & parentes in quacunque parte, licet minima, honorabili titulo heredes instituti, vel fratres cepto casu * quibus aliquid quocunque titulo relictum non hac querela utantur, sed conditione ex *L. 30. de inoff. test. & Nov. 115. c. 3. init.* ad supplendum id quod legitimae portioni deest, quam inde DD. *expletoriam* vel *suppletoriam* vocare solent. Satis enim *honorati* videbantur Romanis, qui aliquid ex testamento accipiebant, quod summi officii ac honoris loco erat. *l. 3. ff. de leg. praest. l. 15. ff. ad L. Corn. de fals. Cicer. pro Quinctio cap. 4. pro Caec. c. 4.*

* de quo iam dictum §. XIX. extra hunc casum enim fratres non habent ius petendi legitimam.

§. XXVII.

*Differt ab
actione Cal-
uisiana utili.*

Denique multo minus hac querela opus habent liberi & parentes qui per indirectum extra testamentum in legitima laesi sunt, e. gr. per alienationes in fraudem eorum factas quae *actione utili Caluisiana* reuocantur Illust. noster Böhmer *in eleganti Tr. de action. Sec. 2. cap. 3. ff. 41.*

§. XXIX.

*Quibus casibus
hac querela
opus sit?*

Ex quibus praemissis efficitur, ut duo solum casus remaneant, ubi querela inofficiosi opus sit, 1) si causa a testatore adiecta *probari nequeat* & 2) si frater praeterito fratre *turpem personam, vel leuis notae macula* labora

laborantem instituerit (§. XIX.) Ludov. l. c. §. II. *ibique cit.*
modo tamen quod fratrem adinet, ipse aequali ma-
cula non laboret, tunc enim querelam non habet. l. II.
C. de inoff. testam.

§. XXIX.

Quia pleraeque exheredationum causae, in in-
gratitudine ac malitia se fundant, quam iura non prae-
sumunt ob regulam: quilibet praesumitur bonus. Hinc
facile reddi poterit ratio, quare hodie reus siue heres
institutus causam exheredationis, nimirum liberos in-
gratos ac malitiosos fuisse, probare obstrictus sit. *
Nov. 115. cap. 3. Non iure veteri. l. 5. §. 1. de inoff. testam.

Quis
lam h
probar
beat?

- * excipe fratres quibus onus probandi incumbit, se non fuisse in-
gratos, sed debito modo erga defunctum fratrem se gessisse.
Hic enim Nov. 22. c. 47. aliter non disponit.

§. XXX.

Quum hodie haec querela ex nouella Iustiniani
constitutione C. CXV. c. 3. definita ac ius heredibus neces-
sariis datum sit *directo* testamentum impugnandi (§.
XVII.). Ex quo efficitur, colorem furoris non amplius
vt olim in libello exprimendum esse. Est enim nunc
lex quae huic querelae formam dedit v. §§. XVI. XVII.
& infinitam, quae olim fuit testandi libertatem repres-
sit: vtque adeo nunc ille color inutilis fit, quondam v-
nice comparatus ad eludendam legem antiquam, quae
testamenti libertatem dabat, vtcunque voluisset testa-
tor (§. V.). Hodie ergo sufficit in eo se fundare quod
causa *falsa* fit. Haec thema probandum.

An ad
hodie j
sit expr
dus?

D

§. XXXI.

§. XXXI.

Effectus huius querelae.

Quoniam olim fundamenti loco ponebatur color siue fictio furoris in hac querela (§. X.) & nemo pro parte sanus & insanus fingi poterat, consequens videbatur, ut nihil ex tali testamento valeret. *l. 28. in fin. de inoff. test. l. 8. §. pen. eod.* adeoque omnia testamenti capita rescinderentur. *l. 36. de leg. 3.* corruente enim principali, corruit & accessorium. Quae regula iuris veteris, adhuc hodie ratione fratrum obtinet, totumque testamentum euertitur, quia eorum respectu in *Nov. 22. c. 47.* nihil a Iustiniano mutatum legimus. Bene tamen Iustinianus ius antiquum ratione adscendentium & descendentium mutauit, sanxitque, ut, sola heredis institutione rescissa, reliqua testamenti capita e. g. legata, fideicommissa, tutoris datio, subsistant. (§. XVII.) *Nov. 115. c. 3. in fin. & c. 4. in fin.* Hic iterum mihi in mentem venit, fictionem furoris hodie sine ratione adhiberi. Iudicet enim sanus lector de sententia Vinnii in *Commentar. ad Inst. tit. de inoff. test. pr. n. 8.* hodie fingendum esse, testatorem furiosum fuisse quum heredem institueret, sana autem mente polluisse quum legata relinqueret. Sed falso. Nullus enim pro parte sanus & furiosus fingi potest.

§. XXXII.

Quomodo libellus huius querelae formandus?

Quibus praestructis facile intelligitur, quomodo libellus huius querelae concipiendus sit scilicet hunc in modum.

P. P.

Es ist mein Vater Johann Friederich Müller den 6. Octobr. a. c. mit Todte abgegangen, vor demselben aber ein Testament aufgerichtet, darin er Johann Waltern, ieszigen Besl. zum Erben

Erben eingesetzt, mich aber gänzlich von seiner Verlassenschaft enterbet, aus Ursach: daß ich Ihn bey der Accise angegeben, als wenn er seine von der Naumburger Meße mitgebrachte Waaren nicht veraccisiret, dadurch er seiner Waaren verlustig worden mithin großen Schaden an seinem Vermögen erlitten. Wann aber dergleichen Ursach nimmermehr von Beklagten erwiesen werden kann; Gleichwohl derselbe die bereits würcklich von ihm angetretene und in Besitz genommene väterliche Verlassenschaft mir abzutreten sich in Güte nicht verstehen will, weshalb wider denselben zu klagen genöthiget worden. Als ergeheth an Ew. Hoch-Edl. meinen Hochgeehrten Herrn Amtmann mein dienstlich Bitten, diese Klage Beklagten abschrifftl. zuzufertigen, und ihn auf einen legalen Termin zur Antwort und Einlassung vorzuladen nachher aber rechtlich zu erkennen:

Daß, das von meinem Vater wider seine Pflicht errichtete Testament zu rescindiren, mich als rechtmäßiger Erbe meines Vaters ab intestato zu erklären, und folglich Beklagter die sich angemachte und in Besitz genommene Erbschaft vermittelst eines zu Recht beständigen inventarii oder in Ermangelung dessen einer eydlichen Specification Klägern cum omni causa abzutreten, auch wegen der eingehobenen Nuzungen Rechnung abzulegen verbunden sey, und zwar dieses alles mit Abtrag Kosten und Schadens. De super implorando.

§. XXXIII.

Neque hic praetereundum esse arbitror ius germanicum, quod, quum testamenta ignorauerit, *Quid dicendum secundum ius ger-*
 ban- *bandum ius ger-*

*manicum
antiquum.*

bante. Tacito. *de moribus germ. c. XX.* Qui, *Heredes, i*
quit, *succefforesque sui cuique liberi: & nullum testamentu*
Si liberi non sunt, proximus IN POSSESSIONE
fratres, patrui, auunculi. Sane & hoc ius hanc quer
lam, consequens testamenti, ignoravit.

§. XXXIV.

Epilogus.

Habes itaque verum ortum est progressum n
non vsum querelae inofficiosi. Potuiffem equidem
vberiore campum excurrere, materiamque ha
paulo fufius pertractare. Sed huic differtationi in
ponendus est

F I N I S.

C O R O L L A R I A

vt vulgo adpellantur.

1. Pupillus conditionem suam meliorem reddere p
test.
2. Serui romanorum incestum committere non p
sunt.
3. Contractus aestimatorius male refertur ad cont
ctus innominatos.

